



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Magistro Petro Marco Subdiacono nostro.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

bis nostro nomine duxerit assignandam, dilecto filio fratri Aymaro Thesaurario domus militiae templi Parisiensis securè mittere procuretis, vestras super hoc eidem magistro litteras in testimonium assignantes. Quòd si non omnes &c. quilibet vestrum ea nihilominus exequatur. Datum ut supra.

MAGALONENSI EPISCOPO.

Epist. 173. De comitatu Melgorij.
Dilectus filius frater Constantinus conversus Cartusienfis nobis proposuit quòd tu quingentas marcas pro comitatu Melgorienfi tibi & Ecclesie tue à nobis sub annua pensione viginti marcarum locando ei nostro nomine obtulisti. Cum igitur dilecto filio magistro Petro Marco Subdiacono nostro correctori litterarum nostrarum super hoc mandatum dederimus speciale, volumus ut cum ipso tractatum super eo habeas diligentem. Quicquid enim idem secundum mandatum nostrum providè tecum duxerit faciendum, nos ratum habentes volumus firmiter observari. Datum ut supra.

RAYMVNDO ET HELIÆ de Caturcio.

Epist. 174. Eisdem argumenti cum epistola 171.
Dilectus filius frater Constantinus conversus Carthusienfis nobis exposuit quòd vos de mandato dilecti filij Simonis Montisfortis Comitis Leicestrie iuramento corporaliter prestito mille marcas ad pondus Trecentense cui voluerimus nomine nostro solvere promisistis. Ideoque devotionem vestram monemus attentius, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus eas dilecto filio magistro Petro Marco Subdiacono nostro correctori litterarum nostrarum latori presentium nomine nostro sine qualibet difficultate solvatis, ita quòd devotionem vestram debeamus merito commendare. Datum ut supra.

MAGISTRO PETRO MARCO Subdiacono nostro.

Epist. 175. Super eodem. Vide supra epist. 172.
Devotioni tue presentium auctoritate mandamus quatenus à dilectis filijs Raymundo & Heliæ de Caturcio mille marcas argenti ad pondus Trecentense recipias, & receptas dilecto filio fratri Aymaro Thesaurario domus militiae templi Parisiensis securè transmittas, nostro nomine deponendas. Datum ut supra.

NARBONENSI ARCHIEPISCOPO & Episcopo Vicensi apostolice sedis Legatis.

Epist. 176. De censu Simonis de Monteforti. Vide lib. 12. epist. 108. 122.
Presentium vobis auctoritate precipiendo mandamus quatenus omnia scripta super censu terræ dilecti filij nobilis viri Simonis de Monteforti Comitis Leicestrie & alia nobis à bonæ memoriæ magistro Milone olim transmissa, quæ vobis meminimus postmodum remisisse, dilecto filio magistro Petro Marco Subdiacono nostro correctori litterarum nostrarum liberè assignetis. Datum Laterani v. Idus Octobris, pontificatus nostri anno decimoquinto.

EPISCOPO GEBENNENSI.

Epist. 177. Eum transfert ad Ecclesiam Ebredunensem.
Scientiæ donum tibi à patrefamilias quasi talentum negotiaturo commissum nequaquam in terra cum servo inutili fodiens, in sollicitudinem pastorem assumptus, sic secundum Apostolum opus implens Pontificis, tuum honorificare ministerium & præesse in sollicitudine studuisti ut, sicut credimus, verè possis dicere cum Propheta, *Super speculam Domini ego sum stans jugiter per diem, & super custodiam meam ego sum stans totis noctibus*, ita te fidelem exhibens super pauca ut merearis constitui super multa. Quod dilecti filij Canonici Ebredunensis Ecclesie providè attendentes, cum bonæ memoriæ eorum Archiepiscopo ab hac luce subtracto de substitutione Pontificis tractatum diuturnum habuissent, tandem operante illo qui facit utraque unum, cleri, populi, & suffraganeorum desiderijs concurrentibus, te in suum Archiepiscopum & pastorem unanimi postulavere consensu, supplicantes nobis humiliter & instanter ut cum Episcoporum translatio fieri non possit vel debeat absque sedis apostolice licentia speciali, te, per cujus circumspersionem sollicitam & sollicitudinem circumspertam multa credunt Ecclesie sue commoda proventura, ipsis in pastorem concedere dignaremur. Licet autem in litteris quas olim nobis super hoc tua fraternitas destinavit expresseris aliquos à postulatione hujusmodi primitus dissensisse, quia tamen per litteras eorundem ipsos in postulatione jamdicta nunc unanimes esse cognovimus & concordēs, eandem, ipsorum inclinatis precibus, duximus admittendam; teque à regimine Gebennensis Ecclesie absolventes, ipsis concessimus in pastorem. Ideoque fraternitati tue per apostolica scripta mandamus atque precipimus qua-

R R r r ij